

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OBSER. Notandum est de uotis hoc loco, quomodo illis duo dentur. Suprà uersu 5. dixit: Quoniam tu C
Deus audisti uota mea. Ergo uota piorum primum diuini nominis inuocationem in se com-
prehendunt. Talia sunt, quæ à pontificijs ad sanctos fiunt, quibus ambiūt aliquid. Deinde hic
subdit, Ut reddam uota mea quotidie: intelligens promissam laudem diuini nominis, pro gra-
tiarum actione. Ergo in uotis est etiam gratiarū actio. Hæc duo seruanda essent & hodie, pri-
mum ut inuocando opem Dei uoueretur aliquid, deinde illud & præstaretur. Iam nescio quo
modo fiat, ut hoc genus uotorum prorsus exoleuerit in Ecclesia Christi.

De Christo. Hactenus psalmum exposuimus secundum rationem typi, qui fuit in populo & regno Da-
uidis. A typo uero exurgendum est ad ipsam ueritatem regni ac populi Christi, cuius regnum
sempiternum, anni ac dies perpetui, prosperitas summa & æterna est, de quo uerius dicitur il-
lud: Sedebit in seculum in conspectu Dei. Quemadmodum itaq; Israelis populus glorietur
est in bonitate ac ueritate Dei, in Dauide sibi declarata, & regni diuturnitatem sibi pollicetur
est cum magna fiducia, utut undiq; ingruerent Dauidis hostes: ita, immò multo amplius nos
in ea bonitate ac ueritate Dei, quam in Christo omnium seruatore, unigenito suo, erga credē-
tes Euangelio declarauit, gloriabimur, certissimi de regni illius perpetuitate & prosperitate,
in quo tutò in sempiternum quiescere, & æterno gaudio potiri liceat, quiduis molietur infer-
nus, & uniuersus hic mundus.

P S A L M V S LXII.

AD PRAECINENDVM PRO IDVTHVN
P S A L M V S D A U I D I S.

- 1**  Eum expectat anima mea, ab ipso salus mea.
- 2** Tantum ipse petra mea, & salus mea, munimentum meum, nō
admodum nutabo.
- 3** Quousq; uiro huic insidiamini? interficiemini uniuersi uos, si-
miles estis parieti inclinato, & maceræ depulsæ.
- 4** Vtiq; dignitatem eius deturbare cogitant, uolunt mendacium: ore suo be-
nedicunt, & corde suo maledicunt. Selah.
- 5** Deum tantum expecta anima mea, quoniam ab ipso expectatio mea.
- 6** Tantum ipse petra mea & salus mea, munimentum meum, non nutabo.
- 7** In Deo salus mea, & gloria mea, petra roboris mei, spes mea in Deo est.
- 8** Sperate in illum omni tempore, o popule: effundite coram illo cor uestrum,
Deus spes nostra est. Selah.
- 9** Vanitas tantum sunt, filij Adam, mendacium filij magnatum: in stateris ua-
nitate ipsa leuiore pariter ascendunt.
- 10** Nolite spem ponere in calumniam & rapinam, ne frustremini: diuitiæ si as-
fluant, nolite cor apponere.
- 11** Semelloquutus est Deus: duo hæc audiui, quod Deo sit robur.
- 12** Et tibi Domine bonitas, quia tu reddes unicuiq; iuxta factum suum.
- LECTIO** Deum tantum expectat anima mea.) Ebr. אל אל היסדרי חנני. Græc. & uulg. Lat. Nonne
Vers. 1. Deo subiecta erit anima mea? Hier. Attamen apud Deum filebit anima mea. Felix, Certè ad
Deum respicit anima Mea. Pagnin. Tantum Deo filet anima mea.
- Vers. 2. Tantum ipse petra mea.) Ebr. אך הואצרי. Hieron. Attamen ipse est scutum meum. Pagnin.
Tantum ipse est Deus meus.
- Vers. 3. Interficiemini.) Ebr. הרצח. Græc. & uulgata Latina. Interficitis. Sic & Hieronymus. Felix,
Occidemini.
- Vers. 4. Vtiq; dignitatem eius detur.) Ebr. אך בשאחז יעצור הריח. Græc. & uulg. Lat. Veruntamen pre-
cium meum cogitauerunt repellere. Hieron. Partem enim eius cogitauerunt expellere. Felix,
Certè propter exaltationem eius inierunt consilium ut expellant. Pagn. Veruntamen à ma-
gnitudine ipsius Dei consuluerunt expellere alter alterum.
- Vers. 5. Volunt mendacium.) Ebr. ירצו בדב. Græc. & uulgata Latina, Cucurri in siti. Hieron. Placue-
runt sibi in mendacio.
- Vers. 6. Non nutabo.) Ebr. לאאמר. Græc. & uulg. Lat. Non emigrabo.
- Vers. 8. Sperate in illum omni tempore, o populi.) Græc. & uulg. Lat. Omnis congregatio populi. Et Hier-
onymus pluraliter legit, Populi.
- Vers. 9. Mendacium filij magnatum.) Ebr. בוני איש. Græc. & uulg. Lat. Filij hominum.
Vanitate ipsa leuiore pariter ascendunt.) Ebr. לעל רוחם מהחבל יחר. Græc. & uulg. Lat. Ut deci-
piāt ipsi de uanitate in idipsum. Hieron. In stateris fraudulentè agunt simul. Felix, Ut ascen-
dant.

A dant ipsi magis uanitate simul. Pag. In stateris si ascendant, leuiiores sunt uanitate pariter.
Nec frustreremini.) Ebr. אל תחבלי. Græc. & uulgata Latina, Nolite concupiscere. Felix, Noli- *Vers. 10.*
 te fieri uanitas.

ARGUMENTVM PSALMI.

Vnicus huius Psalmi scopus est, ut in quibusuis rebus aduersis, omnis spes in unum Deum collocetur, nec quisquam uel in homines qualescunq; uel in calumniam & uiolentiam, uel in diuitias fiduciam habeat, eo quod hæc omnia sint uana: Deus uero solus habeat & potentiam, ut possit: & bonitatem ut uelit, saluare.

Dispositio pariter & expositio psalmi.

Nil habet hic Psalmus obscuri, quod aliqua opus habeat declaratione. Omnia sunt aperta intellectui, modo per gratiam Dei & facilia reddantur cordis affectibus. Potest diuidi in quatuor partes. Prima habet priores duos uersus, quibus animi sui erga Deum fiduciam exprimit. Altera, tertio & quarto uersu amen-
 2
 tiam opprobrat hostibus, qua perpetuò frustra infonti insidiabatur. deinde & interitum minatur, & repro-
 3
 bos, uanos & subdolos conatus obijcit. Tertia, animam suam adhortatur, ut Deum expectet, quod facit uer-
 4
 sibus. 5. 6. 7. Quarta, populum Dei per apostrophem alloquitur, ut fiduciã suam nec in homines, nec in ca-
 lumniã ac uiolentiã, nec in diuitias, eo quod hæc omnia sint uana: sed in Deũ collocet, de quo audierit, quod
 & robur & bonitatem habeat, ut unicuiq; iuxta factum suum rependere & possit & uelit.

Primum in hoc psalmo est, quod tanto affectu & animo prorsus in Deo exultante toties ingeminat omnem salutem à Deo pendere. Ab ipso, inquit, salus mea. Tantum ipse petra mea, salus mea, munimentum meum, in Deo salus mea (ecce iam tertio) & gloria mea, petra roboris mei, spes mea in Deo est, & Deus spes nostra est. Hanc fidem suam non sui, sed populi gratia pijsissimus rex tantopere prædicat. Animaduertit enim paucos esse in populo, qui hac fide sint præditi, cum tamen ea una sit, qua & gloria Dei & salus mortalium constet. Proinde suo exemplo populum ad hanc in Deum fidem inuitat, & ob eam causam psalmum hunc adornat, & præcinendum ecclesiæ proponit, ut secum uniuersus populus uerbis tantisper concinat, dum & mente excitetur, ut ex animo dicat: Deum tantum expectat anima mea, ab ipso enim salus mea, &c.

OBSER. I.

B Nec simpliciter dicit, Ipse petra mea & salus mea, &c. sed, Tantum ipse petra mea, salus mea, quem uersum singulari quodam affectu repetit, &c. ostendens eam esse sinceram in Deum fidem, quæ animum ab omni creaturarum fiducia liberum reddat, & à solo Deo pendere faciat. Impura est & fornicaria, quæ non tota ab uno Deo pedit, sed aliqua sui parte creaturis quibuscunq; nititur. Ea nec agnoscitur à Deo, nec in rebus aduersis consistere potest. Quis autem satis exosculari queat sanctissimũ hoc pij regis pectus, qui in tanto regno constitutus, tantaq; rerum gerendarum dexterate pariter & prosperitate præditus, nihil prorsus sibi cum de sua, tum de populi salute uendicat, sed omnia in unum Deum transfert, & transferre docet, non passus populum aliquo pacto à se pendere. O felix regnum, in quo tanta pietas rerum moderatur habenas. Secundo loco obseruandum est, quid ista fides in animis piorum operetur, quod ad hunc psalmum attinet. Primum, uersu 1. dicit, Deum tantum expectat anima mea. Alij reddunt, Deo tantum silet anima mea. Non multum inter utrunq; uerbum discriminis est. Quisquis enim Deũ tantũ expectat, corde sit pacato, quieto & silenti oportet. Cor enim inquietum & impatiens moræ, opem Dei expectare non potest, sed uel sibi ipsi opitulatur, uel aliunde auxilium quærit: aut si nihil horum licet, desperat. Rursus nec Deo silere potest, quisquis manum illius expectare nequit. Datur itaq; fidei huic, quæ dicit, In Deo tantũ salus mea, animus pacatus, silens, patiens, expectans. quæ uirtus omnibus pijs in hoc seculo summè necessaria est. Nisi enim illa sit, impossibile est ut in tentationibus quibuscunq; persistatur. Quin & in rebus huius mundi ipsa experientia discimus, eos qui moræ sunt impatientes, plurimis seipso discriminibus ac periculis inuoluere. Istud simul admonendum, hanc sanctorũ expectationem non carere suspirijs, gemitibus, lachrymis, lachrymosaq; opis diuinæ imploratio-
 2
 ne. unde illa sunt in scripturis, Viquequo Domine? Quamdiu abscondis faciem tuam, & similia, quorum exemplum uidere est psalm. 13. & 42. Nec ob ista putandum est animos piorum hac expectandi uirtute destitutos esse. Quis enim dixerit coniugis alicuius honestæ animum ob id absentis uiri expectationem ac fidem amisisse, quod illius desiderio, lachrymis & gemitibus quotidie aduentum ipsius suspirat: quæ tum demum expectationem uiri abiectis-
 2
 putanda est, quado moræ impatiens, fidem marito debitam infringit, & uel amoris affectum, uel ipsum corpus alijs communicat.

OBSER. II.

Alterum est, quod uersu secundo dicit, Non admodum nutabo, uel mouebor, quo exprimitur animi securitas in quouis periculo. quasi dicat: Quicquid accidat, certus sum de salute mea, deque inanitate conatum impiorum, qui me præcipitem dare, ac perdere moliuntur.

Certè hic animus ad istum modum securus, facile expectat Deum, illiq; uni filet.

3 Tertium est, cuius uersu septimo meminit, ubi dicit: Spes mea in Deo est. Ordine hoc secundum est, post ipsam fidem, ut expectatio diuini auxilij sit tertium. Nisi enim adsit spes, nec expectare poterit animus opem Dei, nec de salute sua securus esse, fides, qua creditur Deus esse salus nostra, sperat adfore illius auxilium: quod sperat, patienter expectat: expectando securus est, ac dicit, Non nutabo.

OBSE R. III. Tertio loco & ea sunt notanda, quæ habentur uersu tertio & quarto, quibus primum quasi admirari se ostendit cecitatem ac pertinaciam hostium suorum, cum dicit: Quousq; uiro huic insidiamini? Et certè meritò stupenda est reprobòrù obstinatio, qua rem uideant se nihil posse eorum, quæ uolunt efficere, nihilominus ab insidijs & prauis conatibus non abstinere, donec prorsus perdantur. Vnde & subiicit: Interficiemini omnes uos: & statum ipsorum, quem ipsi non obseruabant, similitudine parietis inclinati, & macerie iamiam prolapsurè, depingit. Nam si intellexissent, quàm esset ipsorù interitus præ foribus, utiq; consilia mutassent, de quibus subiungit, dicens uersu quarto: Vtiq; dignitatem eius deturbare cogitant, uolunt mendacium: hoc est, studio falli uolunt, uel certè delectantur mendacio: ut quadret sequètib; Ore suo benedicunt, corde autem maledicunt. quibus uerbis declarat negotium sibi esse non cū apertis, sed occultis ac subdolis hostibus.

Notabimus hic, quales esse debeant in oculis nostris hominum impiorum ac subdolorum, quauis pertinacissimi conatus. Interficiemini, inquit, uniuersi uos. hoc est, peribitis, idq; breui. nam similes estis parieti inclinato, &c. Quis ergo metuet horum hominù dolos & peruersa consilia, & non magis stupiditatem & obstinationem eorum admirabitur, & futurum interitum miserabitur?

OBSE R. IIII. Vers. 5. 6. & 7. obseruandum est, quo pacto alloquatur & confirmet animam suam, dicens: Deum tantum expecta anima mea, & cætera. Vbi sanè quærendum est, quamobrem id faciat, cum initio psalmi hoc ipsum de anima sua prædicauerit, quòd illa Deum tantum expectet. Neque enim putandum est in uerbis prophetæ esse aliquid ociosi. Consideranda hic est, quæ sit in electis quoque animi hac in re, ad quam animam suam hortatur, imbecillitas, quæ subinde cogitationes opem Domini fide ac spe expectantibus oboriantur, longè diuersum occinentes, quàm quæ ipsa fides pollicetur, unde nonnunquam pij aliquousque mœsti ac propè deiectione redduntur, inque lachrymas soluuntur ac gemitus. Hic certè opus est huiusmodi apostropha & alloquutione, ut erigatur anima & confirmatio reddatur, ne diutina expectatione, cogitationumque uelut fluctibus adobruatur, & in desperationis profundam abyssum absorbeat. Huius rei exemplum habuimus supra psalm. quadragesimo secundo & 43. Hic locus & consolationi est infirmis fide, & exemplo his, quibus contra cogitationum insultus fide depugnandum existit.

Vers. 8. expendendus est pijssimi regis paternus erga populum Dei sibi concreditum affectus, quo illum alloquitur, & ad hoc ipsum inuitat, ad quod iam suam ipsius animam adhortatus est. Sperate, inquit, in illum omni tempore. Ardet propheta pectus cū gloriæ Dei, nī salutis populi sui desiderio, cui ista admonitio plurimum seruit. Neq; enim ista psalmi portio solam populi salutē spectat, sed simul gloriam Dei deprædicat, & gloriam carnis proculcat. Certè quisquis & seipsum, & quosuis alios tanto serio, ut uni Deo fidatur, admonet, satis ostendit, quid de illo sentiat, quā credat illum esse fidelē, bonū, misericordē, ueracem ac potentem. Quis enim ita infaniam ut iubeat infido, superbo, mendaci & impotenti fidere, hoc est, & seipsum & alios sciēter ac prudenter seducere? Iam qui Deum prædicat esse fidum, bonū, misericordē, ueracem ac potentem, qui suos non deserat, sanè omnium maximā illi gloriam adscribit.

Sperate in illū. Scribit. Sperate, inquit, in illum. Igitur bonus est, & res populi sui curat. Nisi hoc sit, malè in illum speraretur. Itaq; quisquis in illum non sperat, aut de bonitate ipsius dubitat, aut prorsus non credit, Deum mortalium curare salutem, uel certè, ne in illum sperare possit, propriæ malitiæ conscientia impeditur. Deinde addit, Omni tempore. Ergo bonitas, fides, ueritas, ac beneuolentia Dei perpetua est & immutabilis sperantibus in ipsum. Necessaria adiectione, quæ & Deo constantia gloriā adscribit, & fidei nostræ imbecillitati succurrit. Nunquam ponenda est spes ista, ut deploratè uideantur res nostræ. Neq; enim spei huius fundamentum, bonitas scilicet ac potentia Dei intercidit unquā. Exigitur itaq; ut spei nostræ perseuerantiā coniungamus (de qua Christus dicit, Qui perseuerauerit in finem usq;, saluus erit) omni tempore: an & tempore pacis rerumq; secundarum? Vtiq;. Nequit enim homo ullo tempore spei baculo carere. Est namq; omnium infirmisimus, & nusquam non aliunde pendens, etiam in rebus prosperrimis. Cum autem non liceat spem ponere in carnem, resq; creatas, quid aliud restat, quàm etiam ubi omnia prospera sunt, ab uno Deo spe immota dependendum esse? Sed

Matth. 10. Effundite corā hac de re infra uersu 10. Tertiò, Effundite, inquit, coram illo cor uestrum. Cor effundere coram Deo, est animi æstus, gemendo, querulando, opemq; Dei implorādo ad Deū effundere. Sic legimus in historia Annæ matris Samuelis, 1. Sam. 1. & Thren. 2. dicit Propheta: Deduc quasi

A quasi torrentem lachrymas per diem ac noctem: non des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui. Confurge, clama in principio uigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectu Domini, leua ad eum manus tuas, &c.

Persuadet itaq; nobis Propheta, misericordem esse Deum, qui miserie humanæ condo-
leat, adq; illius sensum non obstupeat. Alioqui quis sustineat calamitatem suam, cordisq; æ-
stus querulando in illius aures effundere, quem sciat esse crudelem & immisericordem? De-
inde iterum uidemus quàm fiducia & spes in Deum, etiam constans illa, quam exigit Prophe-
ta, non excludat cordis mœstitiā, querelas & lachrymas. Ipse itaq; pijsimus Rex, cum esset
abundè æstus humani pectoris, quantauis fide præditi expertus, non dicit: Sperate in Deum
omni tempore, abijcite omnem animi mœstitiā, cordibus sitis saxeis & immotis: sed, Effun-
dite coram illo cor uestrum. quasi dicat: Quod si preslerit quempiam aliqua tribulatio, incusse-
ritq; mœrorem & anxietatem, nolite desperare, habetis Deum, qui nostri curā gerat, in illius
conspectum effundite, quæ uos premunt, ipse non deseret: sed commiseratus uestram calami-
tatem, in tempore opem feret. Nec caret emphasi, quod non simpliciter dicit, Illius opem im-
plorate: sed, Effundite coram illo cor uestrum. Hoc est, omnem cordis uestri dolorem, nihil re-
seruantes quod premat, coram fidelissimo Deo prorsus euacuate. Loquitur Propheta iuxta
ingenium eorum, qui adflicti omnem dolorem in amicorum sinum effundunt, atq; hoc pacto
plurimum consolationis inueniunt, non secus quàm si quisquam oneris parte in aliorum hu-
meros posita, sese nonnihil exoneret. Obsecro per Deum, quis exprimere ualeat quanta sit
suauitas huius fiduciæ erga Deum, ad quam populum Dei Propheta inuitat, dum iubet om-
nem cordis æstum coram Deo prorsus effundere?

Vanitas tantum sunt filij Adam, &c.) Nunquam poterit spes solida figi in Deū, nisi auocatis mē-
tibus ab omni mortalium rerumq; terrenarum subsidio. Vt autem ab illo pectora nostra auo-
centur, opus est cognoscere, quàm & homines & terrenæ simul facultates prorsus sint inanes.
Huius gratia duobus istis uersibus, posteaquā admonuit Propheta omnē in unum Deum col-
locandam esse fiduciam, de uanitate cum mortalium tum diuitiarum subijcere uoluit. Vidit
enim aut in personas mortalium, potentium, nobilium, doctorum ac prudentum, aut in mun-
di huius facultatem, & opulentiam auocari humani pectoris fiduciam. Nominatim igitur ab
horum fiducia auocat, ostendens quàm nihil utrobique sit salutis. Versu 9. potentes huius mun-
di, quos uocat בני אדם filios magnatū, ita deijcit ut ipsa sint uanitate uaniores, non solum con-
temptim eos בני אדם filios Adæ uel hominum, sed nihil aliud appellans, quàm uanitatem &
mendaciū: ita uanos, ut si in statera uanitati opponantur ē regione, illa sint leuiore & inanio-
res deprehendendi. Maxima sanē gloriæ & potentię carnis extenuatio. Vani sunt filij magna-
tum, filij Adæ. Quare? Primū, quia impotentes sunt, ut nec bene nec malē facere queant etiam
erga seipsos. Ita & dij gentium uani dicuntur, eo quod nec cultoribus suis adesse, nec contem-
ptoribus obesse possunt: ob istud nō timendi, ob illud non colendi. Deinde etsi maximē quid
posse uidentur, perfidi tamen sunt, mali, & mendaces. De perfidia mortalium uide Mich. ult.
Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi clau-
stra oris tui, &c. Malicia mortalium per se nota est, quæ illis à pueris inest, Gen. 6. Quod omnis
homo sit mendax, testatur hic ipse Propheta, infra psal. 116. cū dicit: Omnis homo mēdax. Ter-
tiō, instabiles quoq; sunt, & proposito & uita. Instabiles proposito, quod faciliē sententiam mu-
tāt, & ex amicis fiunt inimici: uita, quod morti & interitui quotidie sunt obnoxij, ut quod uo-
lunt, etiam si constanter uellent, perficere tamen morte præuerti nequeant. Hinc illud est in-
fra psal. 146. Nolite confidere principib. & filiis hominum, quibus non est salus. Egre diuntur
spiritus eorum, & reuertuntur ad terrā suam, in illo ipso die pereūt omnes cogitationes eorū.
Ecce ista est magnatum & omniū mortaliū uanitas. Quam ideo ponit, ut mentes populi Dei
ab illorū qualiumcunq; fiducia auocet. Poterat dicere, Nolite sperare in filios hominum, quia
maledicti sunt, qui fiduciam collocant in homine: & carnem ponunt brachium suū, nunquam
prosperē habebunt, ut in Hier. cap. 17. legimus: uerū mitius agit hic spiritus Dei, more planē
materno, perinde ac si filiæ mater à uiro suo adulterāt, nebulonum cū quibus illa mœchetur
uanitatem, perfidiā, & mendacium inculcet, dicens: Noli filia corde à marito tuo auerso fidē
habere istis nebulonibus, à quibus nec honoris quicquam, nec cōmodi ad te redire potest. Va-
ni sunt, perfidi & mendaces, ad seducendū nati: quos si uelis sectari, certo experimēto cogno-
sces ipsissimam illos esse uanitatem & mendacium, quicquid polliceantur, &c.

Eadem ratione & diuitijs terrenis inanitatem adscribit, cum dicit, Nolite spem ponere in
calumniā & rapinam: hoc est, in facultates per calumniam & rapinam acquisitas. Est enim ra-
pina, id quod per calumniā acquiritur. Sic Esa. 3. Rapina pauperis, inquit, est in domo uestra.
Et cap. 61. Dominus dicitur non uelle rapinam in holocaustum: & diuitiæ si adfluant, nolite
cor apponere. id est, ne in eas quidem diuitias spem ponite, quæ ultrò, idq; abundè uelut ē fon-
te quodam adfluunt. Opes enim quibusdam per calumnias & rapinam acquiruntur, quibusdā
uero prospero rerum successu ultrò adfluunt: quibus licet multum discriminis sit, utrisq; ta-

OBSERV. VI.

Vers. 9. 10.

Vers. 9.

Vers. 10.

men eam dat inanitatem, ut in necessitate constitutis ueram opem adferre nequeant, uel hoc nomine indigne, quibus fidatur. In diuitijs calumnia & rapina partis poterat exagitare iniquitatem, deinde & offensam Dei, futuramque ultionem: uerum ut instituit, hoc uno contentus est, inanes esse diuitias, cum quæ fraude sint & rapina acquisitæ, tum quæ ultro, adfluxerint. Vidit enim hunc esse ueluti fontem calumniæ & rapinæ, quod opes suspiciuntur, & cupide petuntur hoc nomine, quod putantur multam adferre salutem & felicitatem.

VANITAS DIUITIARVM.

- De uanitate diuitiarum in scripturis multa sunt, puto tamen illam duobus posse locis comprehendere. Primus est Matth. 13. ubi illis datur à Christo fallacia, ob id opinor, quod insipientibus plura pollicentur, quam præstare queant. Non enim est uita hominis in substantia & facultate diuitiarum, nec possunt auertere ulla uel corporis uel animi incommoda. Alter est, 1. Tim. 6. ubi dicuntur incertæ. Et merito. Sunt enim duplici nomine incertæ, possidendo uidelicet & amittendo, imò triplici. Etenim & acquisitu incertæ sunt. unde fit ut multi opes querendo perditionem inueniant: & quod antè habuerant, amittant. Possidendo incertæ sunt, quia mobiles & mutabiles, corruptibiles, & multis insidijs furum, latronum, & calumniatorum obnoxie, Matth. 6. herum suum mutantes perpetuo, ut uel huius gratia sint inamabiles, perinde ac si mulier quædam ita sit perfida, ut nulli uiro unquam fidem constantem seruauerit, sed perpetuo à se à illis præ se à illis cesserit, quam mirum est si quisquam uirorum adamare sustineat. Sic supra, Relinquent alijs diuitias suas, psal. 49. Præterea & amittendo incertæ sunt. Neque enim quisquam mortalium est, qui certo sciat, cui facultates suas relinquat, ut supra psal. 39. dictum est, Colligit, & ignorat cui colligat ea. qua de re uide Lucæ 12. in exemplo diuitis, cui dictum est: Hac nocte auferent abs te animam, & hæc quæ congregasti, cuius erunt? Quod & ipsum quàm sit miserum, Eccles. cap. 2. declarat.

PERICVLOSÆ DIVITIAE.

Et parum est, ad hunc modum inanes esse opes huius mundi, nisi & periculosæ sint, & mortalibus admodum noceant, non quidem suo, sed nostro uitio: at noceant tamen.

- Gut macht mudt.*
Etia auaros & tenaces reddunt, dū sitim sui au gent. Crescit a-morniūmi, &c.
- 1 Occasionem dant superbiæ, quod innuit Apostolus 1. Tim. 6. cum dicit: Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimè sapere.
 - 2 Materiam administrant luxui, ut ligna fomentū igni. uide Luc. 6. Væ uobis diuitibus, qui habetis hic consolationem uestram. Item Luc. 16. in exemplo diuitis. Et cap. 12. in altero diuite, qui ad animam suam dicebat: Anima mea, habes multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare, &c.
 - 3 Animos emolliunt, ut nihil aduersi constanter ferre queant.
 - 4 Cor hominis ad se rapiunt, Matth. 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
 - 5 Illud captiuum reddunt, & seruum constituunt, ut Deo seruire nequeat.
 - 6 Curis & sollicitudine premunt. 1. Timoth. 6. Et Eccles. 2. Hinc illud poetæ alicuius: Qui diues est, penuriam formidat ignobilem, instabilis fati rotam semper timet mobilem, degitque ut tam propè fallibilem.
 - 7 A regno Dei impediunt. Matth. 19. Difficilius est camelum, &c.
 - 8 Semen uerbi Dei suffocant. Matth. 13.
 - 9 Horam, imò memoriam mortis terribiliorem reddunt. Eccles. 41.
- Parum itaque est, quod hic exigit Propheta, cum dicit: Nolite cor apponere, significans inanes esse diuitias, si consideres quàm sint periculosæ, & quantum adferant nocuenti, ut iam non solum non sint cupidè amplectendæ, sed magno studio etiam fugiendæ: ut orandū nobis sit cum Salomone: Diuitias ne dederis mihi, sed tantum uictui meo tribue necessaria. Verum bene haberet, si uel hoc impetraret à nobis, ut cor illis non apponeremus: & ut Paulus admonet, possidentes essemus tanquā non possidentes, nec speraremus in incerto diuitiarum. Tum enim tam abest, ut noxiæ essent, ut etiam multis modis utiles esse possent. Bonæ uocantur. Et merito. Bonum enim est, quicquid à Deo conditum est.

- VII. *Semel locutus, &c.* Precedentibus duobus uersibus mentes populi Dei à fiducia creaturarū cōmemorata illarum uanitate, auocauit: iam ad id redit, quod uersu 8. instituerat, uidelicet ut populus Dei in Deum speret, coramque illo cor ipsorum effundat, eo quod ille sit spes ipsorum, & causas reddit, cur id facere debeant. Reddit autem tales, quæ omnino ad hoc sunt necessariae, ut merito spes in Deum poni possit ac debeat, & sine quibus insipientissimū sit bene de quoquam sperare. Hæ sunt duæ, potentia uidelicet & bonitas, quib. adiungitur uelut harū radicū surculus, quod reddat Deus unicuique iuxta facta sua. Et ut populo Dei rationes istas persuaदेat, inducit suam de illis certitudinem, eamque non qualitercunque conceptam, sed quam ex auditu uerbi Dei adeptus sit. Hoc est quod dicit: Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui, quod Deo sit robur, &c. ut semel Deum loquutum esse, idem sit atque quàm certis. & constantissimè loquutum esse, iuxta illud Iob 33. Semel loquitur Deus, & secundo illud non repetit.

Infra 89. Semel iurauit in sancto meo.

A repetit. Illud, Duo hæc audiui, שמעתי שתי דברים, quidā sic legunt, Bis illud audiui, uel sæpenu-
mero illud audiui: ut numerus certus sit pro incerto positus. Vbi uerò ista Deus sit loquutus,
& quomodo Propheta illa audierit, an per singularem inspirationem, uel in scripturis legis,
non potest certò statui. Nam utroq; modo & Deus loquitur, & sancti loquentē audiunt. Cer-
tius tamen uidetur, si exponatur de eo, quod Deus per Mosen ista sit loquutus, & Propheta il-
la auditu non auris tantum, sed & cordis, qui fidei est, audierit & amplexus sit.

Semel loquutus est Deus.) Suprà quoq; psal. 60. notatum est, quantum debeat fidei nostræ ro-
bur adferre, si Deus loquatur, Hic iterum uidemus Prophetam rationum, quas persuadendæ
spei gratia adducit, certitudinem in eo collocare, quod Deus sit loquutus.

Duo hæc audiui.) Admonemur hac particula, quomodo fidei certitudo acquiratur. Ex audi-
tu uidelicet uerbi Dei. Duo hæc, inquit, audiui. Auditus autē uerbi Dei duplex est: externus
unus, internus alter. Isti aliquando sunt seiuncti, aliquando coniuncti. Sunt enim qui foris tā-
tum audiant, intus uerò surdi sint: de quibus dicitur, quod aures habeant, & non audiant: ad
quos quoq; pertinet semen in uia iactum, Matth. 13. Rursus fit aliquando, ut sine externo audi-
tu uerbum Dei in corde, per inspirationem spiritus audiatur, quod plerunq; accidit Prophe-
tis. Præterea sunt quib. datur & foris & intus audire. De isto auditu loquitur Apostolus Rom.
10. cum dicit: Itaq; ex auditu fides est, &c.

Quod Deo sit robur.) Notum est, ista duo ad hoc requiri, ut in Deū & possit ac debeat sperari.
Nisi enim posset, rursus nisi & uellet etiam seruare, & quacunq; in re opem adferre, insipiens
planē fuisset, si quis fiduciam aliquā in illum collocet. Iam uerò cum & possit, & pro sua boni-
tate uelit quoq; immò solus possit ac uelit: (ut enim in Esa. est, Non est Deus saluans præter
me, & Propheta hoc sensu ista quoq; Deo dat, tanquā quæ illi soli dari possint) ista duo absq;
ulla cōtradictione sequuntur. Primum, Deum solum esse, in quo sit fidei certitudini locus, in
quem sperari certò possit. Alterum istam illi fiduciā deberi quoq; ob id, quod ea sit bonitatis
natura, ut bene de se sperari exigit, ut nihil possit Deo & indignius & molestius accidere,
quā si quid de illius bonitate & *quædam* hæsitetur. Et hinc est, quod uniuersa scriptura pro
pē nihil aliud inculcat, quā primum Deum esse omnipotentem, suorum seruatore, deinde
& beneuolum & summē bonum, qui non possit deferere sperantes in se, ad hæc & iustum ac
fidelem, qui unicuiq; retribuat iuxta facta ipsius, id quod & Augustinus hoc loco notauit,

Et tibi Domine bonitas.) Quæ est ratio, quod Deum alloquitur hac particula? Cōmemoratio-
ne diuinæ bonitatis animo per illius suauitatem, nunquā satis expensam, in Deum optimū
rapitur. Est enim mira huius iucunditas pectori fide prædito. Omnipotentiam Dei agnoscit
mundus, agnoscunt & dæmones, at bonitatis illius gustus non ita uulgaris est. Ille namq; cre-
dentium tantum est, electorum & filiorum Dei. Huius itaq; admonitus Propheta, per apostro-
phen dicit: Et tibi Domine bonitas.

Quia tu reddes unicuiq;.) Ergo retributio est apud Deum. Igitur sensus illi est rerum nostrarū.
mentium & actionum. Contra illud Malach. Vanus est qui timet Deum, &c. Deinde unicuiq;
inquit: Igitur cum impijs tum pijs erit retributio: nec erit ulla personarum acceptio, apud eū
qui reddet unicuiq;. Tertiò dicit, iuxta factum suum. Ista est æquitas diuinæ retributionis. Nō
potes ergo ignorare, quid à Deo sit expectandum. Tam enim certus esse potes, quā sis acce-
pturus retributionem, quā certus es de animi & facti tui qualitate.

Nota. I.

Deū esse uerā
cē, apud omnes
mortales per-
suasum est, ita
ut ex gētes hūc
honorem dede-
rint dijs suis.
Vide in Apolo-
gia Socratis, u-
bi Apollinis or-
rāculum uersa
tur.

II.

III.

Matth. 19. Ne-
mo bonus, nisi
solus Deus.
Bonitas Dei in
eo patet, quod
ad se uocat, pe-
tere iubet, &
salutem pollice-
tur, idq; imme-
ritis, imò malē
meritis.

IIII.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

XXXII.

XXXIII.

XXXIV.

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

XXXVIII.

XXXIX.

XL.

XLI.

XLII.

XLIII.

XLIV.

XLV.

XLVI.

XLVII.

XLVIII.

XLIX.

L.

PSALMVS LXIII

PSALMVS DAVID, CVM ESSET

in solitudine Iudææ.



Eus Deus meus es tu, mane uigilo ad te, sitit ad te anima mea: i
concupiscit te caro mea, in terra solitudinis ac siticulosa, in qua nō
est aqua.

Sic quasi in sanctuario contemplant te, ut uideam fortitudinem 2
tuam & gloriam tuam.

Quoniam melior est bonitas tua ipsa uita: labia mea laudabunt te. 3

Sic benedicam tibi in uita mea: in nomine tuo leuo manus meas. 4

Velut adipe & pinguedine satias animam meam, & labijs exultationis lau- 5
dat os meum.

Quando tui memor sum super strato meo, & in uigilijs de te meditor. 6

Quod facius es mihi auxilium, & in umbra alarum tuarum exulto. 7

Adhæret tibi anima mea, dextera tua sustentat me. 8

Ipsi